



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Conradus Ep. 26. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

CONRADUS EP. 26. *Novembris.*

CONRADUS infulam Constantien-
sem accepit à D. Udalrico Augusta-
norum Præsule. Fuit cum uterque cœ-
nam frugalem sanctis de Deo sermone cina-
tionibus aspergerent. Et erat is dies Iovi
dicatus. Jamque protracto ultra mediam
noctem colloquio is expiraverat, Vene-
rique cesserat; cum fores nuntius pul-
sat, admittitur, auditur, & pernae frusto
ab inadvertente donatus dimittitur. Ni-
mirum, aiebat ille ad alios, hoc est, in
veneris odium carnem edomare; simul
carnem è sinu parabat producere, cum
ecce piscem ostentat, jamque pisce suo
magis mutus se ipsum damnat. Inambu-
labant alias animi causâ, & cadentes ex
alto Rheni aquas arbitrabantur; cum ge-
minas inibi animas volucrum indutas
torqueri cognoverunt. Vix pro his ad
aram fecerunt, & ad caelos visæ sunt
evolare. Ceterum CONRADUS prius-
quam obiret, GEBHARDO nobili ado-
lescenti sedem suam insidenti vates fuit,
serio id post se facturum, quod nunc per-
ludum faceret. Dum ad aram sacrificat,
delapsus araneus in calicem se infert.
quid faceret; eodem poculo & vita &
mors propinabantur. Bibit tamen, &
imperterritus à sacris mensa accumbit.
Ibi omnibus admirantibus ex ore ara-
neus

A a a 3

742 VITÆ SANCTORUM. 26. Nov.
neus innoxius exit, meritò pedem effere
re jussus à mensâ, quem invocatus intru-
lerat. *Ex Membran. Eccl. Const.*

*Opera misericordia, affectus charitatis,
sanctitas pietatis, incorruptio castitatis,
modestia sobrietatis semper tenenda sunt;
sive cum in publico sumus, sive cum in do-
mo, sive ante homines, sive in cubiculo; sive
loquentes, sive tacentes; sive aliquid a-
gentes, sive vocantes. S. August.*

B. SILVESTER CONF.

26. Novembris.

Oculos & aures advertite omnes Ve-
neris columbi, & quam vox in aliis,
in vobis alii depereunt faciem, in alienâ
cum SILVESTRO contemplamini.
Auximi natus in Picend vivebat, imò
moriebatur SILVESTER, formarum
elegantium idem amor atque amator.
Fortè sepulchrum vespillones aperue-
runt, adolescentis nobilitate & divitiis
incolyti, & formâ dum viveret ad mira-
culum exculti. Hujus spectaculi arbiter
SILVESTER, cum occidisse oculo-
rum tam lucidas stellas, defluxisse tur-
piter aureos illos capillos, turbatam pu-
tore illam frontis serenitatem, expirasse
illam oris ambrosiam, illum genarum
dulcissimum risum, illum denique, quo
tota urbs ardebat, ignem omnem in
pauculos subsedisse cineres videret; *Heu
mibi!*